

ari incisa, Lapides Holzkirchenses, Ratgarii Abbatis cum monocerote imaginem et partem Pedi Abbatialis eburnei, sed hanc dimidio iusta sua magnitudine minorem. Cl. Schannatus, postquam de Holzkirchensibus monumentis locutus esset, mox subdit: Holzkirchense Monasterium a Troando fundatum et Carolo Magno traditum, ab hoc, anno 776. donatum esse Monasterio Fuldensi. Diploma hac de re Caroli Tradit. Fuld. cap. XLV. producit; sed cum id datum sit *anno regni VIII. mense Novembri*, non datum est, ut Schannatus vult, anno 776. sed anno 775.. Addit author noster: *Hinc locus Ecclesie Fuldensis regimini per omnia subditus tam in spiritualibus, quam et temporalibus, non leve incrementum cepit, quandoquidem jam anno 816. Ratgarius Abbas Fuldensis villas quinque cum ipso Monasterio, quod vocatur Holzkircha, exemptas a potestate Episcopi Herbipolensis feliciter evindicasse legitur.* Provocat ad Buchoniam suam veterem pag. 439. ubi, quæ dixerit, demonstrata sint. At, bone Lector, evolve locum. Per Jovem lapidem juro, nihil invenies de iis, quæ demonstrata ibi credidit. Wolfgarius Episcopus ibi Ratgario Abbati de decimatione sua dedit ad Monasterium, quod vocatur Holzkircha, villas quinque cum ipso Monasterio, et hæc nomina earum; *Mulinbus, Niunbrunno, Halabingstat, Malbthudeheim et Gundihbenbus, ipsius Abbatis servi.* Sic verba sonant. Decimas Monasterii et quinque villarum Episcopus Abbati dedit. Non magis igitur subdita fuit Holzkircha una cum quinque villis nominatis Abbati Fuldensi tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quam villa aliqua sive pagus, cujus Parocho Episcopus Wirceburgensis decimas ibi assignavit. Pagus Waldsatia, in quo Holzkircha et quinque illæ villæ sitæ, Regiæ ditionis in temporalibus erat usque ad annum 1000. quo illum Otto III. Imp. solenni diplomate Heinrico Episcopo Wirceburgensi ejusque Ecclesie donavit. Atque en tibi ipsum Diploma ex autographo Archivi Ecclesie Cathedralis Wirceburgensis a me accurate exscriptum: *Otto tertius servus Jesu Christi et Romanorum, Imperator Augustus. Secundum voluntatem Dei salvatoris nostrique liberatoris, quicquid de nostra majestate ad sublimationem Ecclesiarum Dei Sanctorumque suorum condonatur, id ad nostri imperii stabilitatem et aeternæ vitæ gaudium nobis procul dubio prodesse speramus. Quapropter omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum noverit universitas, qualiter nos, propter petitionem, Heriberti reverendi Archiepiscopi, et interventu Heinrici Ducis nostri amabilis, quin immo ob amorem maxime Domni Heinrici sacrosanctæ Wirziburgensis Ecclesie venerabilis Episcopi, eidem sanctæ Sedi suæ ad honorem Dei omnipotentis Salvatoris mundi et pretiosissimorum Martyrum Kyliani, Coloniati atque Totnani dedicatæ, duos dedimus Comitatus Walsazini et Rangouvi nuncupatos in provincia, quæ dicitur Orientalis sive Australis Francia sitos; quos cum omni districto, placito et banno nostro Imperiali, lege et iudicio, iudicio, nihil de his, quæ Comites sive aliquis mortalium de placitis habere debuerunt, excipientes, cum omni utilitate reipublicæ, sanctissimis Martyribus prescriptis in proprium tradidimus et de nostro jure et dominio in jus et dominium, Heinrici venerabilis Episcopi suorumque successorum, omnino transfudimus; eo scilicet roborationis tenore, ut idem venerabilis Pontifex Henricus, omnesque sui successores imperpetuum, prænominatos Comitatus, qualitercunque voluerint, ordinent, et quos velint Comites ponant, nostra, omniumque nostrorum, successorum, et omnium mortalium, objectione seu contradictione remota. Et ut hæc nostra Imperialis tradi-*

Pagus  
Walsatia  
et in eo  
Holzkir-  
cha Epi-  
scopo  
Wirceb.  
ab Ottone  
III. Imp.  
donatur.

T

... in obsequio, tota hanc paginam, quæ hactenus in ...  
-villæ